

1735.

1. Lengnich, Gottfried: De Palmarum confederatis orbibus.
2. Wittenberg, Samuel Fredericus: Tractatione ad voces electorales.

1737.

1. et 2. Wittenberg, Samuel Fredericus: De exercitibus et paciis clericorum. 2 Sept 1737 et 1740

1740

1. Kuhnen, Th. Adams: De religione medicorum

1752.

1. Krausius, Georgius Fredericus: De clementia paucorum inter prolationem
2. Krausius, Georgius Fredericus: De officio iudicis, in omnibus legiis videlicet.

1757.

1. Pauli, Martinus Gottlieb: De medicis eruendae veritatis iis ipsorumibus.

1758

1. Pauli, Martinus Gottlieb: De legitimatione per rescripta principis

1757.

1. Pauli, Martini Gallieb: Utram iis, quae sub tabula visuatis,
hodie satis sunt ex aliens' iuris locis.

1758.

1. Pauli, Martini Gallieb: De incongrua praei doctrinae
iuris Romani: De restitutione integrorum ex capite metu
et dolu. 2 exempl.

1761.

1. Pauli, Martini Gallieb: De jure representationis ejusque
in Germania origine et progressu.

1762.

1. Pauli, Martini Gallieb: De accusationibus a thineram solen
latim.

1763.

1. Pauli, Martini Gallieb: De lege commissoria

1765

1. Gralath, Thorel: De jure calamei in doctrina si contracti
bus ex legibus Romanis clementato

1768

1. Gralath, Daniel : De officiis Paesi circa r̄iuries observan.
dis

1771.

1. Gralath, Daniel : De causis post mortem mortuum
[Km. Sader nach todes Hand].

1772.

1. Gralath, Daniel : De solemnis labibus testamentorum oabre-
nis

1780.

1. Gralath, Daniel : De privilegiis peregrinorum forensi, quod
Germans in Gastebeck vocatur.

1784.

1. Gralath, Daniel : De commodis et iuriis, que sibi
et conditio civitatum maritimorum naturalis, et
commercia in iisdem exercenda intalgent.

2. Grauerius, Carolus Gottlieb : De juri iurando.

287
wurde einiges verloren und ist nicht mehr gut
zu machen. Ich kann es aber für Sie herstellen.

288
Ich habe mich darüber nachgedacht, was ich Ihnen
jetzt schreiben soll, und kann Ihnen nur sagen,
dass ich Ihnen sehr dankbar bin, dass Sie mir
die Zeit gegeben haben.

289
Ich habe Ihnen eine Reihe von kleinen
Sachen mitgebracht, die Sie vielleicht
brauchen. Ich hoffe, Sie werden sie
brauchen.

290
Ich hoffe, Sie werden mich verstehen. Ich kann Ihnen
nicht viel schreiben, weil ich Ihnen
nicht viel zu schreiben habe.

291
Ich hoffe, Sie werden mich verstehen.
Ich kann Ihnen nicht viel schreiben,
weil ich Ihnen nichts zu schreiben
habe. Ich hoffe, Sie werden mich verstehen.
Ich hoffe, Sie werden mich verstehen.

12302.
vii

N^o 45.

7

DISSERTATIO JVRIDICA
DE

OFFICIO JVDICIS SI

OBSERVANTIA LEGIS SIT DVRIA

1752, 2.

QVAM
SVB AVSPICIIS DIVINIS
ATQVE PRAESIDIO
VIRI PRAENOBILISSIMI, CONSVLTISSIMI
EXCELLENTISSIMI

GEORGII FRIDERICI KRAVSII

VTRIVSQVE JVRIS DOCTORIS
EJVSDEM AC HISTORIARVM PROFESSORIS PVBLICI
ORDINARII, ATHENAEIQVE INSPECTORIS

IN AUDITORIO MAXIMO

AD DIEM I. AVGUSTI ANNI MDCCLIII.

AB HORA IX ANTEMERIDIANA

PROPVGNABIT

DISSERTATIONIS AVCTOR

MICHAEL GRODDECK,

GEDANENSIS.

G E D A N I,

TYPIS THOMAE JOANNIS SCHREIBERI, SENATVS
ET ATHENAEI TYPOGRAPHI.



N 44
DISSESSATIO JURIDIC
DE
OFFICIO JUDICIS
SIT
OBSERVANTIA LEGIS SIT
DABIA

AVAN
ZADVASPICHIUS DIBUNIS
ATOLAE BRASSIDI
MEL PRABRANOBESIUM CONSERVATISSIMI
EXCEPTEINTISSIMI
GEORGII FREDERICI KRAUZII
ATRIASGAE JURIS DOCTORIS
PLAISEN VCHISTORIARVM PROFESSORIS TAPETIS
ORDINARIU ATHENEICAE INSPECTORIS
IN AUDITORIO MAXIMO
AD DIENI 1 VAG/21 ANNI QD ID CC m
LA 8100A 12 ANTWERPENIANA
TROLOGIA
MICHAELI GRODDECI

GEDANA
TUTIS THOMAE IOANNIS SCULPISSERI
ET DEDICATAE TYPICIS

VIRO
GENERO SO AC MAGNIFICO
DOMINO
C A R O L O
G R O D D E C K

REIPVBЛИCAE PATRIAE
CONSVLI GRAVISSIMO
ET
PARENTI SVO PLVRIMVM HONORANDO

HANC DISSERTATIONEM

CEV

STVDIORVM SVORVM PRIMITIAS

EA

QVA PAR EST, OBSERVANTIA

DEDICAT

FILIVS OBSEQVENS

MICHAEL GRODDECK.

J. V. ET M. G.

PA

PAREN'S OPTIME.

Non longe mihi erunt rationes petenda, propter quas Celebratissimo Nomini Tuo hanc qualeincunque Opellam inscribendam, solenniterque dicandam esse censui. Nam ipsa lex naturae id nobis tacite inculcare videtur, ut eum, quem propinquia sanguinis necessitudo parentem nobis constituit, pion non tantum affectu venerari, sed etiam manifesta obsequii extare specimina, velimus. Nec diffiteor, ardor iste innatus quam saepissime animum ad servitia promptissimum incitavit, defecit vero hac tenus occasio. Cum vero ante abitum e patria narratam bucusque operam in studio Juridico demonstrare apud me constituissem, exoptatissima adfuit occasio qua Tibi imprimis, MAGNIFICE PATER solennes non modo profectuum reddere rationes, sed etiam publico testimonio meam erga Te fiduciam & obsequium filiale obsignare possum. Incepi enim mei rationes eo pertinent, ut omni studio labore, quo Tuam de me opinionem sustinere, atque me illo tam luculentio favore, quo me ad hunc usque diem complexus es, non omnino indignum offendere queam; neutquam vero ut cogitem, quemadmodum Tuum in me derivatum favorem justis ac debitibus laudibus in altum evehere velleim; nam magis magisque praefstat, tanto negotio me imparem profiteri, quam etiam pauca dicere. Hinc sufficiat haec mea publica confessio: Tibi me omnia debere; Tuum me debitorum nunc esse, & permanere beneficiorum Tuorum, quorum multitudo innumeranda, perpetuum memoratorem, licet haut compensatorum. Nam habes rationes, ob quas hasce mei ingenii primitias Tibi afferro. Accipe illas, obsecro, eo, quo me hac tenus dignatus fuisti, favore, & quo porro me fruiturum nullus dubito. Denique Sumnum Numen precor venerorque, ut Te in enolumentum Patriae, decus familiae, atque in meam quoque salutem, aeternum digere jubeat. Vix feliciter, GENITOR SVAVISSIME, inter quasvis temporum molestias, & quaelibet discrimina: Deus Tibi valetudinem & vires tribuat! Deus tandem Tibi annos addat, vel de meis annis!

Datum Gedani die XXIV. Julii. A. C. cl. l. CC LII.

DE



DE
OFFICIO JUDICIS
SI
OBSERVANTIA LEGIS SIT DUBIA.



ui rebus paulo accuratius dimetiendis Intercessio-
publicae, ut
jus, quantum
fieri potest.
certum sit.
librandis occupari solent, opti-
me norunt, quam parum sufficiat,
qualemcumque adhibuisse regulam,
nisi etiam certi esse possint, hanc normam ita probam
& rectam esse, ut ea facile fallere nequeat. Nam, quod
LVCRETIVS de rer. nat. Lib. IV. v. 515. seq: ex
vero cecinit,

si prava est regula prima,
Normaque si fallax rectis regionibus exit,
Et libella aliqua si ex parte claudicat hilum,
Omnia mendosae fieri atque obstipa necesse est.

Neque vero minus experiundo discunt, qui judicis of-
ficio in definiendis negotiis forensibus defunguntur,
quam sit necessarium, ut certa sint jura, ex quibus de-

A factis

DE OFFICIO JUDICIS

factis civium controversiis subducere rationes, & sententiam ferre debent. Quid enim iura aliud sunt, quam normae superiorum auctoritate firmatae, quas cives in actionibus suis, judices in judicando, sequi tenentur, ut omnium ac singulorum in republica salus rite promoveatur; quae si fallaces ac incertae sunt, nec cives habebunt, quod in rebus agendis tuto sequantur, nec judices tam judicare, quam hariolari potius, videbuntur: adeoque, dum incertum ius est, vitam, salutem & fortunas civium simul in dubio versari necesse erit. Proinde, cum utique iura scripta certiora sint meritis consuetudinibus, beatus ALEYSER med. ad Pand. Spec. LX. m. I. seqq. eas resplicas, quae nullis legibus scriptis, sed solis duntaxat consuetudinibus vivunt, ceteris infeliciores judicat. Cum tamen nec saluberrime scriptae leges felicem reddere rem publicam queant, nisi efficiatur, ut his etiam suus confet vigor: siquidem alias merito cum HORATIO Lib. III. Od. XXIV. quae siveris:

Quid leges sine moribus
Vanae proficiunt?

Ad officium hinc vel me non monente animadvertisit, & legislatoribus ipsis illam incumbere curam, ne istas actionum normas facile per desuetudinem obliterari patientur, & ad officium quoque judicis pertinere, ut is, quemadmodum apud TULLIVM de legibus L. III. praetor, juris disceptator & custos sit, atque sollicitate invigilet, ne ipse contrariis observantiis in transversum agatur, legumque in se certarum auctoritatem hac culpa sua sensim enervet.

Judex hoc
loco quis?

§. II.

Sicuti vero hic sub nomine *judicis* illos omnes comprehendo, quorum est, causas partium litigiosas fen-

SI OBSERVANTIA LEGIS SIT DVRIA. 3

Sententia sua juxta juris regulam definire, sive hoc munere fungantur vii jurisdictionis propriae, sive ex alterius, qui jurisdictioni praest, mandato, sive denique ex ipsarum partium compromisso, quales arbitri etiam a JVSTINIANO in L. 4. pr. C. de arbitris judices appellantur: ita res ipsa loquitur, officium judicis, de quo mihi jam sermo est, latioris esse significationis, quam illud frequenter a romanorum prudentibus acceptum reperimus. Rekte enim VINNIVS in Commentario ad princ. Inst. de Officio judicis observat, aliud apud romanos priscos fuisse officium jus dicentis i. e. ipsius magistratus, v. g. praetoris, aliud officium judicis i. e. judicis pedanei. Videlicet romani Jurisconsulti veteres, quando ex arte & solempni formula loquebantur, praetores, qui jure sui magistratus exercebant jurisdictionem, jus dicere, non judicare dicebant, quemadmodum ipsum locum, in quo praetor jus reddebat, jus, vocacionem ad praetorem, in jus vocacioni, & quae coram praetore gesta erant, in jure facta vocabant. v. BRVNQVELLI hist. jur. P. I. c. VIII. §. 25. not. b. add. HEINECCI Antiquit. Rom. L. IV. tit. VI. §. 4. seq. E contrario judges pedanei, qui propria jurisdictione destituti, tantum in subfelliis veluti ad pedes praetoris sedebant, judicare dicebantur, quando ex formula a praetore praescripta, de facto controverso dispiciebant, & sententiam ferebant. Ipsi enim magistratus propter negotiorum multitudinem perraro & tantum aliquando in causis quibusdam extra ordinem cognoscebant. Conf. CAROLI BRETI Tractatus de ordine per antiquo judic. civilium Cap. XII., ubi etiam ostendit, in quo pedanei judges a magistratis distulerint. Cum vero jam ante Justiniani tempora, ut apparat ex §. ult. §. de Interdictis, judges

A 2

peda-



4 DE OFFICIO JUDICIS 1280 12

Definitio officii judicis pedanei fere desierint, & multo minus tales hodie habeamus judices, etiam simul manifestum est, inter officium judicis & jus dicentis nullum amplius intercedere discrimen, sed hodie sub illo nomine generatim eas intelligendas esse obligationes, quae illi, qui jus inter partes dicit, in administrando hoc munere, observandae incumbunt; quarum aliquae ita sunt comparatae, ut eas iudex, etiamsi a partibus non imploratus, negligere tamen non debeat, aliquae vero petitionem partium praerequirant; unde distinctio in officium judicis noble & mercenarium enata est, de qua Interpretes ad tit. *J. de Officio judicis* copiose plerumque commentarii conservaverunt.

§. III.

Pertinet ad officium judicis, ut defektum verborum legis in judicando suppleat.

Non vacat jam per singulas partes eundo, omnia quae ad judicis officium pertinent, sigillatum pertractare. Illud vero argumenti propositi ratio exigit, ut quae judicis partes sint in attendenda fori observantia, non nihil commemorem. Quod si maximam partem pragmaticorum hic in consilium adhibeamus, non minus ad observantias fori, quam ad jura convetudine recepta judices adstrictos esse putabimus v. BE SOL DI thesaurus practicus sub. art: Usurpantz, & BAR BOSAE loci communes jurisprud. sub voce Observantia. Enim vero, si, ut par est, ipsorum architectorum civilis juris placita paulo accuratius penitimus, observantiis quidem non omnem detrahere efficaciam videntur, illud tamen judicibus inculcant, ut primam rationem habeant legum, quarum mens fatis clara est, deinde convetudines in veteratas pro lege servent. Cum enim reip. maxime intersit, ut jura, quantum fieri potest, certa sint, (§. I.) sed impossibile fere sit, omnia

omnia in legibus scriptis singulatim comprehendendi, ut
JVLIANVS in l. 12. D. de legibus loquitur; hinc ad officium judicis, tanquam ministri legum, pertinere censuerunt, ut, si verba legis deficere videantur, ejus sententia rite considerata, accurata interpretatione defectum verborum in judicando suppleat. Ita enim *JCTVS in leg. cit.* judici injungit, ut ad similia procedat, si sententia alicujus causae manifesta sit, & *VLPIANVS in l. 13. D. eod.* permittit, ut ea, quae ad eandem utilitatem tendunt, interpretatione suppleantur. Sin autem mens legis scriptae manifesta non sit, tunc officio judicis convenire crediderunt, ut attendat, quo jure civitas in istiusmodi casibus retro fuerit usia. Haec enim est mens *JVLIANI in l. 32. pr. D. de legibus*, ubi sic insit: „De quibus causis scriptis legibus „non utimur, id custodiri oportet, quod moribus & „consuetudine inductum est; & si qua in re hoc deficiet, tunc quod proximum & consequens ei est: si „nec id quidem appareat, tunc jus, quo urbs Roma „utitur, servari oportet.“ Similiter *CALLISTRATVS in l. 37. D. eod.* monet, in interpretatione legis imprimis respiciendum esse, quo jure civitas in tali causa retro usia fuerit. Hinc & idem *JCTVS in leg. seq.* Imperatorem Severum rescripsisse testatur: in ambiguitatibus, quae ex legibus proficiscuntur, consuetudinem, aut rerum perpetuo similiter judicatarum auctoritatem vim legis obtainere debere.

Respicere etiam debet adea, quae retro obtinuere.

§. IV.

Ne autem vox observantiae, de qua disputo, ambiguitatem aliquam parere videatur, hic monuisse atinet, vocem istam penes interpres juris praecipue duplicitis esse significationis. Generatim observantia

A 3

pro

Differentia inter observantiam generatim & speciatim acceptam.

pro usu recepto alicuius juris accipitur, qua ratione
multi consuetudinem & observantiam pro synonymis,
habent, sicuti THOMASIVS in *Conject. de jure
consuet. & observ. §. 16.* utramque per plures unifor-
mes actiones hominum in una societate civili familia
majore viventium, quatenus in illa vivunt, definit,
quamvis postea in §. 25. alleg. diff. inter consuetudinem
& observantiam illud suopte ingenio faciat discrimen,
quod consuetudo de moribus extrajudicialibus, obser-
vantia vero de moribus judicialibus commode intelligi
possit. Sic etiam alii quidam consuetudinem, usum
communem, observantiam, & stylum Curiae pro iis-
dem plane habere, alii inter usum, consuetudinem &
observantiam nullam agnoscere differentiam, alii con-
suetudinem & observantiam subtiliter distingui, alii
aliter rem explicare solet, de quibus conf. KVLPI-
SIVS in *Diss. de Observantia imperiali §. 4.* KEM-
MERICHIUS quoque in *Diss. de probat. consuet. &
observant. Sect. II. §. 6. seq.* generalius observantiam
considerat, dum eam duplum constituit, nudam vi-
delicet & qualificatam. Nudam enim vocat eam, quae
in nudo facto, siue instituti alicuius aut juris, etiam pu-
tativi exercitio, aut facti data occasione suscipiendo
omissione consistit. Qualificatam vero per conformi-
tatem actionum ab hominibus in societate viventibus
consensu eorum, qui jus facere possunt, celebratarum,
describit. Hanc ultimam rursus subdividit; quae
omnia hoc loco exscribere non vacat. E contrario
speciatim observantia consuetudini quodammodo op-
poni solet, quale exemplum occurrit in *INSTRVMEN-
TO PACIS OSNABR. art. 5. §. 31.* ubi cautum est, ut
augustanae confessioni addicti in libero religionis exer-
cito relinqui debeant, si illud sine pacto, aut privile-
gio,

SI OBSERVANTIA LEGIS SIT DVRIA. 7

gio, sive *longo usu*, sive *sola denique observantia* A. 1624 habuerint. Et in istiusmodi specialiore significatu quoque illud vocabulum in praesenti accipio, quandoquidem de observantia forensi disputaturus, observantiam hic describo, quod ea sit sententia in iudicio vel Dicasterio quodam in jure dicundo usitata, ita tamen, ut requisitis verae consuetudinis adhuc carcat, vel de his non satis constet. Eam BERGERVS in *Oeconomia jur.* L. I. t. I. §. 19. n. 1. etiam unico actu introduci posse existimat, argum. l. 14. §. 2. *D. de alimento vel cibar. legat.*, ubi VELIANVS docet, quod, si testator talia alimenta alicui legaverit, qualia jam vivus illi *praestare solitus* fuerit, sed vivus forte varie praefiterit, ejus temporis praestatio spectanda sit, quod *proximum mortis* ejus fuit; ideoque, si, cum testaretur, minus praefiterit, plus mortis tempore, vel contra adhuc dicendum, eam praestationem sequendam, *quae novissima* fuit. Aliquot vero actus desiderare videtur a LEYSER in Vol. XI. meditat. ad Pand. *Suppl.* Spec. V. *observ.* VIII. Hoc certum est, quod observantia eo certior ac firmior fiat, quo plures uniformes actus adduci possunt, adeo, ut tandem ex observantia diurna convevudo oriri possit, ut recte notat LAVETER BACHIVS in *Colleg. Pand. theoret. practico* L. I. tit. 3. §. 47. De cetero ex uniformi modo prouincandi in plerisque judiciis ac Dicasteriis alicujus territoriali usitato enasci praxin alicujus juris, idem observat A LEYSER Med. ad Pand. Spec. IX. m. 5.

Observantia, quid?

Praxis, quid?

§. V.

Nec vero praetereundum hoc loco est, vocem observantiae, pro usu & more recepto sumram, non quidem ad aureum latinitatis seculum ascendere, interim

Vox observantiae non plane barbarica est.

nec



8. **DE OFFICIO JUDICIS****12**

nec plane barbaram dici posse, prouti quidem yisum
est GRIBNERO in *Diss. de Observant. Colleg. jurid.*
f. V. Non jam testimonium denunciabo SVETO-
NIO in vita Augusti cap. 76. circa fin., ubi alii legere
malunt: *observantia*; alii: *inobservantia*. Suppetunt
auctoritates romanorum JCTorum. Nam SEXTVS
POMPONIVS, qui sub Antonino Pio Seculo II.
vixit, (de quo v. HEINECCIVS in *praefat. ad Vblili*
Opuscula ad bistoriam juris pertinentea) in *I. 2. f. 24.*
D. de Orig. Jur. hoc vocabulo ita uitur. Evidem-
scio HOTOMANNVM in *Antitriboniano* c.
XII. illud fragmentum Pomponio abjudicasse, existi-
mantem, legem hancce non nisi fabulas & deliria Tri-
boniani concinere. Cum vero iste hujus suspicio-
nis nullam habuerit causam idoneam, uti jam mo-
nuit VAN BYNKERSHOEK in *praetermissis ad*
hanc legem; ejus iniqua admodum censura apud aequos
rerum aestimatores nullum inveniet assensum. Certe
eodem significatu CERBIDIVS SCAEVOLA, qui
etiam Seculo II. sub Marco & Commodo floruit in *I. 24.*
D. ad municipalem observantiam nostram vocat *for-*
mam observatam. Sic etiam DOMITIVS VL-
PIANVS Seculo III. Alexandro Severo imperante
celebris, in *I. 1. pr. D. de testamento militari* eundem
fere vocabulo observantiae tribuit significatum, quan-
do militibus mandatis principum concessum esse me-
morat, ut quoquo modo ultimam suam declarent vo-
luntatem, ne ex testamento ad diligentiam legum &
observantiam (i. e. ad solennitates in aliis testamentis non
privilegiatis usitatas,) revocato, controversiae lenisci
possint. Haec etiam observantia in *I. 14. C. de testam.*
milit., quae lex Imperatorum DIOCLETIANI &
MAXIMILIANI est, juris observatio vocatur. add.
I. 38.

SI OBSERVANTIA LEGIS SIT DVRIA. 9

L. 38. §. 2. D. ad leg. Jul. de adulter. Denique Justiani tempore illud vocabulum in nostra significatione in usu fuisse, non ambigi potest. Ipse enim IMPERATOR noster in §. ult. Inst. de Satisfaction. constituit, formam in prioribus praescriptam non solum in regia urbe, sed in omnibus etiam aliis provinciis obtinere debere, & adjicit rationem: quia necessum est, ut omnes aliae provinciae regiam urbem, ejusque observantiam sequantur.

§. VI.

Sicuti vero judici incumbit, ut accurate leges interpretetur, quo secundum veram mentem legislatoris solum ad con-
judicare possit: ita etiam ipsum permultae rationes suetudinem, commovere debent, ut in subsidium deficiente clara legis dispositione, in judicando ad formam antea in decienda causa obseruatam respiciat. Cum vero A
LEYSER alleg. Spec. IX. m. 5. hasce jam suppeditaverit rationes, in iis recensendis otium mihi factum esse
puto. Jam igitur hoc modo addo, quod officio judicis non tantum conveniat, ut ad formam pronuntiandi constanti consuetudine firmatam, in qua scilicet per longum tempus saepius certus ac uniformis modus in decidendo aliquo casu observatus fuit, ita ut tacito legislatoris consensu approbatus esse videatur, sed etiam ad obseruantiam praeteriti temporis, licet certae consuetudinis requisita adhuc deficiant, in dubia juris quaestione rite attendat. De ista enim dubitari nequit, cum consuetudo per plures actus, longo tempore uniformiter gestos, ob praesumtam legislatoris voluntatem vim legis habeat, non modo in imperiis popularibus, de quibus recte JULIANVS, in l. 32. §. 1. D. de legibus, nihil inter- esse dicit, suffragio populus voluntatem suam declarat.

B

ret,

10 DE OFFICIO JUDICIS

ref, an rebus ipsis & factis; sed in iis quoque territoriis,
 quae a principe reguntur, ut optime monet HVBERVS
in preelect. Instit. L. I. tit. II. §. 12. Nullum
 certe eorum JCTorum, qui in Digestis nostris con-
 suetudinem pro lege custodiendam esse docent, ve-
 lut JVLIANVM *in alleg. l. 32. D. de legibus; VLP-*
PIANVM in l. 33. D. eod.; HERMOGENIA-
NVM in l. 35. D. eod. PAVLVM in l. 36. & CAL-
LISTRATVM in l. 37. & 38. D. eod. liberam vi-
disse rempublicam, sed qmnes demum aut Hadriani
Imperatoris, aut ejus successorum temporibus floruisse
constat. v. BRVNQVELLV S in hisf. jur. P. L. c. X.
 Praeterea consuetudini auctoritatem legis etiam Imperatores ipsi, quorum tempore ne umbra quidem liberae reipublicae supereesse poterat, ALEXANDER,
 CONSTANTINVS M., LEO & ANTHE-
 MIVS tribuerunt, quorum rescripta postea sua fecit
 JVSTINIANVS *in tit. C. quae sit longa consuetudo*
add. §. 9. §. de jure Nat. gent. & civ. Quod autem
 nuda quoque praeteriti temporis observantia in dubiis
 juris quaestionebus a judice non temere negligenda sit,
 naturalis ratio postulat. Eo enim ipso incertitudinem
 juris dubii cum maximo incommodo & periculo litigantium augeri, si judices in dubiis causis, desultoria
 quadam levitate, modum decidendi solitum fine causa
 iterum derelinquerent, ultro quilibet intelligit; nec ab
 hac sententia nos dimovet GRIBNERVS, qui in *alleg.*
Diss. de Observant. Colleg. jurid. operose contra obser-
vantias disputationem. Cum enim ejus argumenta omnia
duntaxat abusum observantiarum feriant, iisdem ju-
stis & necessarius earum usus nequam destruitur;
*id quod etiam SCHROETERVS in *Programmate**
Dissertationi annexo recte admonuit.

§. VII.

SI OBSERVANTIA LEGIS SIT DVRIA. II

§. VII.

Dubiam autem juris quaestione voco, si manifestae legis decisio deficit, & ob collisionem principiorum pro diversis sententiis diversae etiam rationes aequalis ponderis militare videntur. Sic v. g. dubia juris quaestio est, quae in utramque partem aequali fere probabilitate a JCTis disputari solet, an scilicet, actione negatoria instituta, reus etiam tunc jus servitutis probare teneatur, si in possessione servitutis sit. Affirmantium sententiam juvat, cum, quod libertas naturalis cuiuslibet fundi in dubio presumatur, tum etiam, quod secundum doctrinam PAVLI in l. 2. D. de probat. ei incumbat probatio, qui dicit, i. e. affirmat, non qui negat. At ex adverso negantium quoque opinio rationibus aequae gravibus haut caret. Etenim docent quoque jura nostra, quod in dubio possessio justa presumatur, donec contrarium probet petitor I. 4. J. de interdictis, l. 14. & l. 20. D. de probation. In hac igitur decidenda quaestione merito servatur prima sententia, quod reus probare teneatur, utpote quae haec in Praxi magis obtinuit. Conf. BERGERI Oeconomia juris Lib. II. tit. 3. §. 22. n. 8., nec non ALEYSER Spec. 109. m. 5. WERNHERVS observ. forens. P.I. observ. 339. add. LVDOVICI doctrina Pand. Lib. 8. tit. 5. §. 4. Aliud nobis praebet exemplum agitatissima illa controversia, quot testes requirantur, si pater in testamento inter liberos condito extra-neo aliquid legare velit, in qua enodanda variae JCTorum sunt opiniones. Sic SCHILTERVS in Ex. ad Pand. 38. §. 125. existimat, legatum extraneae personae relictum in testamento parentum sine omni solennitate valere, tanquam accessorium privilegiati testamenti. Aliam plane fovet sententiam BRVNNE-

Dubia juris
quaestio de-
finitur, &
exemplis il-
lustratur.

DE OFFICIO JUDICIS

MANNVS ad autem. Quod sine: C. de testament. qui quinque requirit testes, quoniam Imperator THEODOSIVS in l. ult. §. 3. C. de Codicillis jubet, ut in omni ultima voluntate, excepto testamento, regulariter ad minimum quinque testes adhibeantur. Denique CARPZOVIUS part. 3. const. 4. def. 20. duos testes ad formam istiusmodi legati sufficere contendit. arg. Nov. 107. c. 1. junct. l. 12. D. de legibus. Quamcumque autem exhibe tribus opinioribus nostram faciamus, nec defensionis nec dubiorum deficiet materies; quapropter in dubio sententia CARPZOVIH caeteris in judicando merito praefertur, quia magis in foris obtinet, prout hoc iterum testatur A LEYSER Spec. IX. m. 6. MENCCENIVS in Synop. Pand. L. 29. tit. I. §. VIII. & BERGERVS in Oeconomia juris L. II. tit. IV. §. 6. n. 5.

§. VIII.

In dubiis questionibus observantiam baud neglexerunt artis nostrae magistri. Quod ratio naturalis, ne incertitudo juris dubii augeatur, jam judices obliget, ut in dubiis quaestioni- bus ad observantiam respiciant, jam supra occupatum est. Idem etiam exemplo romanorum JCTorum dicimus, qui in dubiis quaestionebus decidendis in primis eo respicere soliti fuerunt, quid in foro jam obtineat. Sic HERMOGENIANVS in l. ult. D. pro legato testatur: post magnas varietates obtinuisse, ut pro legato usucapi posset, licet legatum non jure reliatum sit; similiter idem JCTus in l. 32. D. de obligat. & actionibus post magnas varietates obtinuisse inquit, ut aliqui plures ex uno delicto natas actiones instituere possit. Qua ratione etiam Imperatores DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS in L. 3. C. in quibus causis in integ. restit. necess. non est rescribunt,

in

SI OBSERVANTIA LEGIS SIT DUBIA. 13

in minorum persona re ipsa & ex solo tempore tardae
pretii solutionis, *recepto jure* moram fieri creditum
esse. Conf. l. 115. §. 2. D. de Verb. obligat. & l. 44. D.
de rebus creditis. Speciatim exemplo erit Paulus, qui,
licet frequenter studio alienas sententias carpendi sit
agitatus, adeo ut gravissimum JCTorum opiniones
impugnaverit, quemadmodum Labeonis sententiam
falsam in l. fin. D. si Servit. vindic. & Q. Mucii Sca-
volae doctrinam ineptissimam vocat in l. 3. §. 23. D. de
acquirend. v. omittenda possit, & alios reprehendit:
tamen quinque libros *receptarum sententiarum* ad
filium scripsit, quas a Rittershusio, cum aliis ejusdem
Pauli sex libris sententiarum, sive factorum, minus pru-
denter confundi, notat VAN BYNKERSHOEK
in Comment. ad l. 40. D. de rebus creditis cap. I. qui
tractatus in ejus Opusculis Halae editis primus est.
Quod vero recepta sententia non modo vocata fuerit,
quae longa jam consuetudine vim legis nostra erat, sed
quod etiam ea sub hoc nomine venerit, quae in dispu-
tationibus fori frequentiorem magisque communem
prae aliis meruerat calculum, vel ex FESTO disci-
mus, qui receptum generatim appellat, quicquid a
plerisque prudentibus adprobatum est. De reliquo
etiam JVSTINIANVS in §. 6. §. de Satisfactioni-
bus judiciorum quotidianum usum, attendere jubet,
& in §. seq. 7. judices provinciarum obligat, ut se-
quantur observantiam regiae urbis. Qua occasione
HOPPIVS in Comment. ad hunc §. 7. cum aliis mo-
net, quod ad hodierna quoque tempora pertineat, ut
judicia inferiora sequantur superiorum observantiam,
si ea aequitati consentanea & aliqua dubia sit quaestio,
de qua in judicio inferiori nihil adhuc certi statutum
apparet.

B 3

§. IX.

14 DE OFFICIO JUDICIS

Jus certum
obseruantia
contraria
abrogare ne-
quit.

Itaque non immerito observantii judiciorum aliquam tribuimus auctoritatem, si jura ipsa dubia sint. Neque enim semper res tantam patitur moram, ut, quoties aliqua incidit dubitatio, superioris rescripto nodus illegordius dissolvi queat; neque etiam principi ipsi ullum tempus sufficietur eset, si quidem in singulis quaestionibus dubiis authentica expeteretur decisio. Ubi vero lex certa est, observantiae contrariae nulla debet esse auctoritas. In quo multum iterum discriminis est inter consuetudinem & meram observantiam. Consuetudo enim vim juris habet, ut jam supra vidimus, & adeo legem priorem tollere potest, modo ista contradicere judicio firmata sit, uti VLPIANVS in l. 39. D. de legibus loquitur. Conf. a LEYSER Spec. ad Pand. IX. med. ult. E contrario mera observantia, quia tacita legislatoris voluntate nondum approbata, legem abrogare nequit. Unde consequens est, ut observantia juri repugnans nullius sit momenti, sive verba legis in se sint manifesta, sive sententia & ejus ratio clara sit. Etenim diserte VLPIANVS in l. 6. §. I. D. de Verb. Signific. docet, tam ea, quae ex sententia legum, quam quae ex earum verbis descendunt, ex legibus profecta intelligenda esse. Quodsi etiam firma consuetudo adsit, quae casum decidat, idem dicendum erit: ipsa enim, ut JVLIANVS in l. 32. §. I. D. de legibus ait, pro lege non immerito custoditur. Denique si ex analogia iuris certa appareat decisio, iterum merae observantiae contrariae efficacia nulla cedi poterit, cum dubitari nequeat, quin cum ipsis quasi legum visceribus cohaereat, quod ex nexus principiorum juris demonstrari potest. Igitur in his omnibus casibus judex, qui minister legum potius quam arbitr

SI OBSERVANTIA LEGIS SIT DVRIA. 15

biter est, nullam alicujus contrariae observantiae habere poterit rationem, tametsi illa ipsius judicio videatur aequissima. Ne enim judges ex cerebrina quadam aequitate causas, juribus neglegentis, definire temere au-sint, neque contra monitum PAPINIANI, in l. 15. pr. D. ad municipalem, in potestate judicantium sit juris auctoritas, JVSTINIANVS in pr. J. de Officio ju-dicis, & in Nov. 82. c. 13. judges illud in primis obser-vare jubet, ne aliter judicent, quam legibus, aut con-stitutionibus, aut moribus proditum est. Quapropter cum officio judicis convenit, ut etiam legem duram, si sententia ejus manifesta sit, sequatur, exemplo ULPPI-A NI, qui in specie illa, quam propositum in l. 12. s. 1. D. qui & a quibus manumiss. fatetur quidem, quod lex dura sit, attamen eam sequendam esse cenfet, quia lex ita scripta fuit. Conf. VENNIVS ad alleg. p. J. de Officio judicis. Unde satis apparet, me eorum cau-sam neutriquam agere, qui ea tantum, quae observantia fori & Praxi quodammodo obtinent, illico cœca ve-neratione amplectuntur, parum de cetero solliciti, an sententia cum jure conveniat, nec ne. Quin potius tunc, si observantia quaedam legi, consuetudini, aut analogiae juris certae, aliquam fraudem facit, ma-nifeste accedo ad sententiam GRIBNERI in supr. al-leg. Diff. de Observant. Colleg. juridic., & observan-tiam istam, cum contemptum ac incertitudinem juris, litium protelationes, & alia incommoda plurima pa-riat, recto judici cane pejus & angve vitandam censeo, haut immemor prudentis illius praecepti, quod pro-vinciarum rectoribus inculcavit PROCVLVS in l. 12. D. de Officio praefidis, non tam spectandum esse, quid Romae factum sit, quam quid fieri debuerit.

§. X.

16 DE OFFICIO JUDICIS

§. X.

*Dubia legis
observantia
fit.*

*1) Si incer-
tum est, an
unquam lex
sit applicata.*

*2) Si lex in
judicando
multoties
neglecta de-
prehendi-
tur.*

Jam satis praeparata est via, ut sine longiore me-
ra in rem praefentem ire, & judicis partes, si observan-
tia legis dubia videatur, speciatim cernere queamus.
Est autem legis observantia dubia, si incertum sit, an
ea lex in definitiis litibus forensibus attendi soleat.
Id quod duabus potissimum ex causis proficiisci vide-
mus, quarum prima est, quod aliquando in dubitatio-
nem cadit, an ullum adhuc exemplum legis exercitiae
extet. In dubitationem dico. Quod si enim certum
est, quod lex adhuc nunquam in exercitium deduc-
ta est, observantia legis non tam dubia, quam potius pla-
ne nulla dicenda erit, quamvis de cetero in utroque
casu eadem sit decisio, ut scilicet judex sequi teneatur
sententiam legis. Talis vero dubitatio non in legibus
tantum recentibus, sed etiam antiquioribus nonnun-
quam incidit. Ita Sextus Caecilius apud A. GEL.
LIV M noſt. attic. L. XX. c. I. dubitat, an poena illa
LL. XII. Tabularum, in obaeratum debitorem statuta,
ut, si pluribus creditoribus obnoxius esset, tertii
nundinis in partes fecari posset, unquam obtinuerit.
Addici namque nunc, inquit Et vinciri multos videmus,
quia vinculorum poenam deterrimi homines contem-
nunt: diffectionem esse antiquitus neminem, equidem ne-
que legi, neque audiui. Evidem VAN BYNKERS-
HOEK Observ. jur. rom. L. I. c. 1. Gellium mentem
decemviralium legum hic non satis affectum existi-
mat, cum sectio illa in partes, non de diffectione cor-
poris, sed de venditione bonorum & personae commu-
nis debitoris ipsi accipienda esse videatur; Huic tamen
explicationi merito contradixit A LEYSER in Spec.
ad Pand. 474. m. 1. & 2. nec non JO. NIC. FVNC-
CIVS in Observat. critico antiquariis ad L. XII. Tab.

pag.

pág. 195. seq. Sic etiam saepius dubitationi, num lex jam aliquando applicata fuerit, ansam praebere solet, si ista pertineat ad casus rarius contingentes, quales complures collegit WILDVOGEL in *Diff. de his, quae raro fiunt.* Ad alteram, quae observantiam legis dubiam efficit, cautam quod attinet, ea existit tunc, si in utramque partem subinde judicatum reperitur, cuiusmodi exempla tam infinita in eorum operibus prostant, qui forenses ediderunt observationes, & in responsis, rebusque judicatis dicasteriorum colligendis operam posuerunt, ut in re quotidiana exempla allegare pigeat. De cetero cum ne observantia quidem contraria legem certam abrogare queat, uti in Spho praeced, ostendimus; multo minus observantia legis dubia judicem dimovere debet, quo minus secundum legis sententiam judicet.

§. XI.

Videlicet in priori dubiae observantiae specie, si nimirum nullum adhuc legis exercitae exemplum extat, vel ideo nullam meretur observantia dubia attentionem, quia alias nulla lex recens lata effectum habitura esset. Si enim lex non nisi observata subditos obligaret, semper illi, qui primus in legem commisisset, in promptu foret exceptio deficientis adhuc observantiae. Ejus exemplum alter sequeretur; & sic porro in infinitum eludetur juris auctoritas, neque potestas efficacium legum condendarum tam ad legislatorem, quam ad subditos potius pertineret. Ipsa vero juris majestatici indoles nos docet, quod lex ex seria legislatoris voluntate vim suam accipiat, ideoque obliget statim ex eo tempore, ex quo subditis rite promulgata est; adeo, ut ne illud quidem opus sit, quod sibi ali-

C

qui

qui arg. Nov. 66. cap. I. perperam persuadent, ut sci-
licet duo menses post publicationem sint elapsi. Quod
enim ad hanc Novellam attinet, Imperator in illa non
de legibus generatim, sed tantum de iis agit, quae
circa solemnia testamentorum sanxit; quia ratione non
nunquam etiam legistores certum determinare
tempus solent, ut eo demum elapsa legis obligatio in-
cipiat; cuiusmodi exemplum est in Mand. Saxonico,
quod ordinationi Processi Sax. revisae praemissum est.
Quis vero non videt, tales speciales dispositiones ge-
neratim ad omnes alias leges extendi non posse? Consi-
WERNHERI Observ. forens. part. IV. observ. 207.
ubi argumenta utriusque partis exponuntur. Itaque cum
voluntas superioris, non observantia subditorum, legi
auctoritatem conciliet, parum nos follicitabit illud Com-
mentum GRATIANI in C. III. dist. 4. notantis: le-
ges institui, dum promulgantur, firmari vero, cum approbatae
non sint, aliter agentes transgressionis reos non argue-
re. Hoc enim tantum de iis legibus, quas imperio de-
stituti scribunt, aut de juribus sponte receptis, e. g.
romanis, quae primitus, ut in sequentibus dicendi lo-
cusi erit, in plerisque Europae partibus observantia fo-
ri ac moribus utentium introducta sunt, verum esse,
jam monuit VAN BYNKER SHOEK in Observat. L.
IV. c. 1. Lex vero ab eo profecta, penes quem in re-
publica maiestas est, hoc ipso desineret lex esse, si ob-
servantia subditorum eam demum firmaret, cum ita,
praecipua virtute sua, quam MODESTINVS in I.
7. D. de legibus in imperando, vetando, puniendo po-
nit, carens, mera svasio & consilium foret, cui ex sub-
ditis paucissimi obtemperaturi essent, nisi cunctos tales
nobis fungere vellemus, quales in aurea aetate sua ima-
ginatus

SI OBSERVANTIA LEGIS SIT DUBIA. 19

ginatus est OVIDIVS *metamorph.* L. I. v. 90. seq.
qui scilicet

vindice nullo-

Sponte sua, sine lege, fidem rectumque colebant.

§. XII.

Nec magis in altero casu, si in utramque partem
subinde dicatum est, observantia dubia legi clarae
ac certae fraudi esse potest, alias penes inferiores sta-
ret legis abrogandae potestas. At quis dubitabit, quin
ejus tantum sit legem abrogare, cuius est legem con-
dere. Ex nullo sane alio principio PAPINIANVS
in l. 38. *D. de pactis* jus publicum privatorum pactis
mutari posse negat; & eodem ex fonte POMPONIVS
in l. 27. *D. de Reg. jür.* nec ex praetorio, nec ex so-
lemnijure privatorum conventione quicquam immutare
permittit. Quamdiu igitur de ipsis legislatoris expre-
sa vel tacita voluntate obliterandi juris sui non constat,
semper verum manebit illud vulgatum: Lex semel lata
semper loqui praesumitur; id quod ita expeditum est,
ut in re aperta ne indigeamus quidem argumento l. 27.
C. de testamento., quod vulgo adjici solet. Abrogatio
enim, cum facti sit, in dubio praesumi nequit; adeo;
ut si etiam in lege quadam unum alterumve legislato-
ris voluntate mutatum deprehendatur, tamen in reli-
quis omnibus, quorum tollendorum nullum voluntatis
indicium appetat, pristini juris auctoritas salva man-
fuisse credenda sit; prouti THEODOSIVS & VA-
LENTINIANVS Imperatores in l. 32. §. 6. *C. de*
appellationibus rescriperunt. Evidem primo obtutu
etiam factis subditorum in abrogatione legis non nihil
dandum esse videbitur, cum omnis conservudo, quae
etiam vim legis obtinet, per facta & mores subditos

C 2

rum



rum introducatur. Sed si verum fateamur, hi mores subditorum tantum occasionem novo juri, non auctoritatem, praebent. Consuetudo enim, uti in §. VI. jam observatum est, ex tacito legislatoris consentu vim legis obtinuit; ideoque si ejus efficaciam spectemus, eam potius concessio legislatoris introduxit, quam quidem facta subditorum. At in mera observantia tacitus iste assensus principis adhuc deest, unde contra legem clamaram atque certam tanto minus habebunt aliquem effectum, quae interdum ex errore in contrarium sunt iudicata, quo magis nos admonet CELSUS in l. 39. *D. de legibus*, quod ea, quae non ratione introducta, sed primum errore, deinde consuetudine (quae scilicet nulla ratione constat, aut nondum penitus inolevit, ac satis stabilita est, ut explicat CV. JACIVS in *paratitlis ad tit. C. quae sit long. consuetudo*) obtenta sunt, in aliis similibus obtainere non debeant.

§. XIII.

Hinc exceptione deficiens vel dubiae observantiae legis, si aliquis ex lege quadam contra alium actionem instituat: & judex contra officium suum ageret, si tali aereo exceptione proposita, auctori probationem observantiae legis injungeret. Circumstantias enim factorum, quae ad decidendam causam nihil faciunt, prudens judex merito negligere, nec aliquem ex partibus inutili probatione onerare debet. Evidem superioribus seculis fere plerique interpretes eam sententiam, quasi per manus traditam, defenderunt, ut negata ab adversario legis vel statuti observantia, hanc ante omnia auctore probandam esse existimaverint. Magnum eorum numerum, qui hunc errorem de auctoritate statuto-

SI OBSERVANTIA LEGIS SIT DVRIA. 21

tutorum ex observantia dependente foverunt, adducit CARPZO VIVS Dec. 101. n. 1. seq. Communiter vero veteres DD. fenserunt, quod nulla lex auctoritatem habere queat, nisi subditi per facta eam receperint. Ita etiam MENOCHIVS de *prae*sumptionibus Lib. II. *prae*f. 2. magnum idem sententium allegans numerum auctoritatem statuit, quod ex omnium sententia satis non sit, ut legislator promulgaverit leges, nisi & cives eas recipiant, & usu comprobent; adeo ut alias nec cives presentes, nec futuri, iis legibus teneantur. Sed haec ex iis, quae jam in antecedentibus §his allata sunt, facile refutantur, & ab aliis pluribus jam recte notata sunt vid. LAVTERBACH in Colleg. Pand. theor. præf.

L. I. t. 3. §. 21.

§. XIV.

Quarvis autem hodie in eo fere omnes consentiant, quod actori ordinarie onus probandae observantiae legis, ex qua agitur, a judice imponi nequeat: tamen non desunt etiam nobilioris famae JCTi, quibus ille eximendus esse casus videtur, si actor in libello ipso ad observantium legis provocaverit, reus vero hanc circumstantiam in litis contestatione neget. Ita enim & CARPZO VIVS Dec. 101, & qui cum secutus est SCHILTERVS in Exerc. ad Pand. I. §. 10. existimat, observantium probandam esse, si quis in ipsa observantia legis vel statuti fundamentum ponat. Rationem querunt in l. 2. D. & l. 23. pr. C. de probationibus, ex quarum auctoritate affirmanti incumbere solet probatio. Sed certius est, quod ne tunc quidem judex observantiae probationem injungere debeat actori, si hic in libello suo legem ex qua actionem moverit, observari dixerit, cum dubitari non possit, quin tunc

Actor ad observantium provocans,
eam tamen non probare tenetur.

C 3

affir-

affirmans immunis sit a probando, si aliquid allegetur, quod in jure jam praesumitur. Ipsa juris praesumtio per definitionem suam veritas probabilis est, quae tamdiu pro certa habetur, donec adversarius probet contrarium. Jam vero legis, a superiore latae, observantia semper praesumenda est. Neglectio enim legis & inobedientia subditorum in dubio praesumi nequit, quia haec contineret delictum; siquidem sub delicti notione omne comprehenditur factum illicitum contra leges admissum. Delicta vero in dubio non praesumuntur, id quod & VLPIANVS in l. 51. pr. D. pro Socio & IMPERATORES in l. 10. C. arbitr. tutelae exemplis docent. Si etiam facere possemus, quod observantia legis in dubio praesumenda non sit, tamen cum observantia, ut ex superioribus his jam constat, ad efficaciam legis necessaria non sit, etiam in eo casu actorem, licet ad observantiam provocet, aliqua probatione superflua onerandum non esse, cum BERGERO in Oec. ju. L. I. t. I. §. 17. n. 5. & WERNHERO part. I. obser. 316. merito statuimus. De reliquo ea, quae hic de observantia legis disputantur, simili modo pertinere ad statuta particularia rite condita, ad intelligendum facile est. Nam eadem in statutis adeo ratio, quia istiusmodi statuta in locis, ubi vigent, itidem pro lege habenda sunt. Conf. WERNHERVS Part. IV. Obs. 40.

§. XV.

Transitio Quae hactenus disputavimus, ea potissimum sunt ad iura p- de iis legibus intelligenda, quas legislator in suo tuli- regrina in territorio. Jam paulo specialius investigandum erit, aliqua rep. an iudex majorem observantiae rationem habere de recepta, vel beat in iuribus peregrinis, quodam modo civitate do- expressa le- natis,

SI OBSERVANTIA LEGIS SIT DVRIA. 23

natis, si in una vel altera specie de observantia disputari possit? Ordo vero rei tractandae postulat, ut iura secundum originem suam quidem peregrina, attamen auctoritate & voluntate expressa summae in aliquo territorio potestatis ascita, atque instar proprietarum ac domesticarum legum subditis proposita, ab iis juribus peregrinis separemus, quae usu tantum & consuetudine sensim in fora alicujus territorii vel civitatis immigrarunt. Leculentum jurium priori modo ex aliena republica receptorum exemplum in historia romana superpedant leges XII. Tabularum maximam partem ex jure graeco collectae. Cum enim ejusmodi regibus incerto jure uterentur romani, nec inter patres & plebem de domesticis legibus conveniret, mittebantur legati Athenas, ut, quemadmodum inter alios testatur LIVIVS Lib. III. cap. 31. inclusas leges Solonis describerent, & aliarum Graeciae civitatum instituta, mores juraque noscerent; unde PLINIVS L. VIII. Ep. 24. Graeciam recte vocat terram, quae romanis leges dedit. His legatis cum iuribus Graecorum Romanum reversis, cum summa potestate constituebantur Decemviri, qui ex his potissimum iuribus peregrinis, tabulas legum compilarent, quas postea in perpetuam rei memoriam pro rostris adfixas esse constat. Conf. BRVNQVELLI historia jur. Part. I. cap. 3. ubi de hac historia copiosius egit, addi. etiam HEINEC. CIVS Antiquit. Rom. Proem. §. 3. & 4. Aliud exemplum idque domesticum praebet ius Culmense antiquum maximam partem ex jure vetere Magdeburgico enatum. Cum enim Seculo XIII. crucigeri se in Prussiam converterent, multi ipsos ex germanis gentibus, imprimis ex illis locis, quae iuribus Magdeburgicis utebantur, secuti, qui his iuribus assveti, iisdem etiam

iam in Prussia uti volebant. Id quod ipsis a magistris ordinis concessum est, dato privilegio Culmenſi (die Culmische Handfeste). Conf. Celeberr. HANO-VII, praceptoris mei nunquam non deyenerandi, kurzgefaßte Geschichte des Culmischen Rechts in edit, juris Culmenſis reviſi, quae hic Dantisci A. 1745. prodiit, in qua editione pag. 273. exhibetur summa quae-dam privilegii Culmenſis, quod magister ordinis Eberhardus von Seyne, post primum exemplar in conflagratione civitatis Culmae perditum, renovavit, ex quo in primis §. 8. in rem praesentem est, cuius verba sic citantur: Wir verordnen auch in denenselben Städten die Magdeburgischen Rechte in allen Urtheilen ewiglich zu beobachten, mit dieser Begünstigung, wenn man zu Magdeburg 60 Schillinge büſtet, das alsdenn der Schuldige hier nur 30 Schillinge Culmische Münze büſten folle ic. Itiusmodi autem jurium peregrinorum, quae tantum usu fori & tacito legislatorum consensu immigrarunt, manifesta prostant exempla in jure Justinianeo, jure feudali longobardico, & jure canonico, de quorum jurium receptione in §. 17. adhuc quaedam erunt commemoranda.

§. XVI.

*Quantum
judec in le-
gis pere-
grinis ad ob-
servantium
respicere de-
beat.*

Ex hoc discrimine peregrinarum legum, quae expressa superioris auctoritate sunt ascitae, & quae usum tantum fori, tacite connivente superiore, inoleverunt, nunc facilius decerni poterit, an & quatenus judici incumbat in juribus peregrinis ad observantium respicere. Res enim ipsa loquitur, quod in priori jurium peregrinorum specie, leges istae, licet antea peregrinae fuerint, tamen ob accedentem voluntatem atque auctoritatem expressam ejus, penes quem est legum in republica ferenda.

SI OBSERVANTIA LEGIS SIT DVRIA. 25

ferendarum potestas, merito tanquam jura domestica considerandae sint, magisque vi promulgationis, quam ex usu & observantia obtineant. Quapropter ea, quae in superioribus §phis demonstravi, quod in juribus, legislatoris auctoritate clare praescriptis, judicem nullum observantiae forsitan deficientis dubium movere debeat, ut legem in judicando negligat, necessario ad praesentem quoque speciem pertinebunt. Quod vero ad alteram attinet speciem, quando jus aliquod tantum usu & tacito legislatoris assensu introductum est, vide ri poterit, observantiam utramque facere paginam, si de valore hujusmodi legis quaeratur. Nec etiam qui sic sentiunt, penitus falluntur, dummodo ipsorum ea mens non sit, quod, si de usu alicuius legis in specie dubitetur, etiam de observantia & praxi cuiuslibet legis specialis semper sollicitum esse oporteat judicem; prouti CONRADVS SINCVRS, sub quo ficto nomine latet KVLPISIVS, in *Dissert. epistol. de germanic. legum veterum ac Rom. juris in rep. nostra origine, auctoritateque praesente existimat*, quod nulla lex romana valeat, nisi probetur recepta. Ubiunque enim jus romanum simul pro jure subsidiario receptum & agnatum est, ibi judicem non opus habere, ut ad cuiuslibet legis specialis observantiam exacte respiciat, adhuc ex sequentibus §phis magis constabit.

§. XVII.

Videlicet jura quaedam peregrina ita per longam observantiam & inveteratam consuetudinem fori in complexu suo sunt recepta, ut, quatenus nec domesticis legibus moribusque, nec statui reipublicae regnante, in subsidium in causis dubiis decidendis generatim adhiberi soleant. Qua ratione Jus Justinianum Utijusjneum finianum.

neum, postquam hoc Seculo XII in scholas & fora Italiae, non jussu Lotharii II. Imperatoris, (quem errorem solide profligavit CONRIN GIVS de origine juris germanici c. 21. & 22.,) sed primitus privatis tantum curis ac studiis reductum, & sequentibus temporibus variis glossis ac commentariis illustrari coeptum est, sensim non tantum in Germaniam, verum etiam in alia pleraque territoria Europae se insinuavit. Cum enim in plerisque locis domesticarum legum paucitas, & haut raro deficiens earum applicatio, jus aliquod suppleriorum postulareret, jus romanum vero, aequissimum plerorumque in vita civili obvenientium casuum decisionibus abundaret: judices, jam in academiis hujus juris principiis innutriti, si aqua haerebat, ad ejus placita, tanquam ad sacram quandam anchoram, confugiebant. Id quod sensim ita in observantiam & morem transiit, ut de juris civilis subsidiaria receptione in plerisque Europae regnis dubitari amplius non possit. Conf. de hoc argumento ARTHVRVS DVCKIVS de usu & auctorit. juris rom. in dominiis principum christian. STRYKIVS in Discurs. praelimin. usui Pand. moderno praemissō, & alii, quos magno numero adducit BRVNQVELLVS in hist. jur. P. III. memb. 2. c. XI. §. 17. add. JO. STRAVCHIVS in Dissert. de juris natural. & civil. convenientia, quae in ejus Opusculis Part. IV. n. 3. extat. Cum jure autem romano simil etiam jus feudale longobardicum, utpote ab Hagolinto JCTo Bononiensi, iusli, ut creditur, Friderici II. Imperatoris corpori juris civilis adjectum, innotuit, & similiter non tantum in Germania, sed etiam in plerisque aliis locis, ubi feuda habentur, usum subsidiarium obtinere coepit. v. FLEISCHE RVS in Instit. juris feud. cap. 2. §. 19. & HORNIUS in

*Feudale
Longobardi-
cum.*

SI OBSERVANTIA LEGIS SIT DVRIA. 27

in iurisprud. feudal. cap. I. §. 26. Denique Jus quoque canonicum, maxime olim, & praesertim in Germania, generaliter fuisse receptum, copiosissime docet BOEHMERVS in jure ecclesiastico protestant. L. I. tit. II. §. 28. seq.; & quamvis deinde Seculo XVI. beatus Lutherus jus canonicum penitus tollendum existimaret, illudque adeo rogo impositum combureret, tamen JCTos fese cum insigni fervore opposuisse, atque hujus juris auctoritatem conservasse constat. Quo factum, ut illud etiam postea in terris protestantium plerisque non infirmam retinuerit auctoritatem. Conf. porro cit. BOEHMERVS L. I. tit. II. §. 58. usque ad §. 75. Praeter hujuscemodi jura vero generatim in subsidium recepta, etiam adhuc aliud quoddam reprehendimus genus jurium peregrinorum, ubi tantum unum ac alterum caput exinde haec tenus usu quodam fori obtinuit, uti exemplo esse possint Novellae Leonis, de quibus infra §. 22. nonnulla dicentur.

*Et Jus Ca-
nonicum.*

*Aut unum
tantum alte-
runve caput
obtinuit.*

*Observan-
tia juris ge-
neratim re-
cepti non
probanda.*

§. XVIII.

Quodsi nunc ex indole horum diversorum modorum juris cuiusdam exotici recipiendi rationes subducamus, nullo negotio intelligi crediderim, quod in priori casu, jure aliquo peregrino generatim recepto, probatio observantiae cuiusvis legis specialis necessaria non sit, sed potius praesumti debeat, donec adversarius probet, hanc vel illam particulam istius juris adventicii vel conditioni reipublicae, vel legibus aut consuetudinibus domesticis, adversari. Etenim, quoad ex his neutrum demonstrari potest, credibile non est, quod olim, si quando similis casus extiterit, jus illud applicatum non fuerit, quod tamen generatim in subsidium receptum est. Deinde etiam, licet forte species illa,

D 2

ad

Ita-
pro-
re ju-
tan-
spon-
tum
tiam
Cum
itas,
sup-
imis
dec-
s ju-
pla-
gie-
ran-
que
f. de
usu
ian.
and.
ad-
mb.
pert.
ejus
ro-
pote
tur,
um,
sed
tur,
IE-
VS
in



28 DE OFFICIO JUDICIS

ad quam in praesenti istiusmodi ius receptum applicari debet, tam insolita ac rara sit, ut anceps esse videatur, an similis casus intra multa Secula unquam existerit; tamen, si nunc istiusmodi casus prima vice in republica nostra contingat, recte hoc ius applicabitur, eadem ex ratione, quia generatim receptum est, ut exinde in subsidiis decisio causae peratur. Exinde enim manifeste conficitur, ne quidem opus esse, ut singulare leges jam olim in foro actu observatae fuerint, dummodo earam applicatio commode fieri possit. Quare etiam BERGERVS in *Diffr. de Vsu action. poenal.* §. 18. non incongrue, quamvis non nihil barbare, inter *observantiam*, i. e. inter usum alicujus juris recepti actu secundo & exercitio ipso, & inter *observabilitatem* i. e. usum ejus actu primo & habitu, diitinctivit.

§. XIX.

Judex ex jure generali recepto causam decidit, licet observantia dubia sit.

Hinc igitur porro conficitur, posse judicem, pro causarum controversiarum diversitate ex jure Justiniano, feudal, & canonico, causam decidere, licet observantia ejusdem juris in eo casu dubia sit, dummodo constet, quod eo in loco jura illa alias in judicando subsidiariam praestare utilitatem soleant, & domesticum aliquod ius potius, sive scriptum sive non scriptum, non sit in contrarium, denique etiam lex illa, ex qua subsidiaria decisio petitur, ad statum reipublicae commode applicari posit. Cum enim jura recensita non tam ex observantia quadam speciali unius alteriusve particulae, quam ex receptione potius generaliore valorem acceperint, uti in §. 17. observavimus, quid opus erit, ut judex de singularis cuiusvis legis observantia admendum sit sollicitus? Hoc modo SCHILTERVS in *Exercit. ad Pand. I.* §. 12. recte judicat, quod lex civili,

SI OBSERVANTIA LEGIS SIT DVRIA. 29

vilis; licet actu secundo non observata, tamen actu primo recepta censeatur, & quod judices ad eam legem in subsidium respicere teneantur; cuius asserti veritatem, quod ad Germaniam, luculenter confirmat *Ordinatio judici imperialis aulici*, quam FERDINANDVS III A. 1654. promulgavit, in qua circa fin. praecepit Imperator: Dass unter anderen auch das *Corpus juris civilis* & canonici auf der Reichs-Hof-Raths-Tafel, damit man sich dessen in zweifelhaften Fällen gebrauchen könne, stets vorhanden seyn, und von selbiger nicht verrückt werden solle.

§. XX.

An eadem, quae haec tenus de auctoritate subsidaria, praesertim juris romani, differui, in specie quoque ad terras juris Culmensis pertineant, equidem proprio iudicio definire nonnihil subveretur. Licebit tamen testem advocare hujus juris peritissimum & inclutum quondam nostrae civitatis Proconsulem, JOHANNEM ERNESTVM VON DER LINDE, qui non modo in *Dissert. de Origine, Libr. & auctorit. juris civilis & statutar. Gedanensi. §. 15.* ingenuo fatetur, quod aliqua Juris Culmensis loca non nisi ex principiis juris civilis communis satis intelligi possint, sed etiam in sequentibus addit, quod jus civile in praxi ea suppletat, de quibus & Jus Culmense & reliqua jura statutaria silent. Hoc expeditum est, quod si Culmense jus revisum paulo accuratius cum jure romano compareremus, multa ejus capira, nonnunquam ipsis fere verbis, ex jure romano desumpta inveniantur. Ut ex multis exemplis aliquot tantum adducam, contendamus paulisper formam inventarii hereditatis ex jure romano, cum ea, quam Jus Culmense praescribit. Vide

D 3

*Jus Iusti-
tianicum ad
interpreta-
tionem &
supplemen-
tum juris
Culmen-
sis adhibetur.*

*Multa ca-
pita juris
Culmen-
sis ex
jure civili
desumpta.
Quod ex-
emplis illu-
stratur.*

licet JVSTINIANVS, ipse beneficii inventarii auctor in I. 22. §. 2. & 3. C. de jure deliberandi & Nov. I. cap. 2. §. 1. ad inventarii formam requirit, ut intra 30 dies exordium inventarii capiatur, & intra alios 60 dies impleatur; adjicit tamen limitationem, nisi bona in diversis territoriis sita sint, quo casu annum ad ejus confectionem concedit. Tum porro jubet Imperator, ut omnes in hereditate repertae res indicentur; nec non ut Creditores, legatarii, & quorum alias interest, cidentur, denique, ut tabularii adhibeantur cum testimonibus fide dignis. Jam videamus, quae forma sit inventarii ex Jure Culmensi; Ibi quidem in Lib. 3. Tit. 10. cap. 4. legitimus sequentia: Es soll der Erbe schuldig seyn, solches sein Inventarium in Monatsfrist von der Zeit, wenn er sich des Erbfals angenommen, anzufangen, und in folgenden zween Monaten zu vollenden, also, das die ganze Frist drey Monat seyn soll; Es wäre denn, das die Erbschaft in unterschiedlichen Octern gelegen, und mehr Zeit erfordert würde, als denn soll auf Erkenntniß der Gerichte die Zeit verlängert, und zum höchsten auf ein Jahr erstrecket werden. Porro Cap. 6. Alles was in der Erbschaft gefunden, es sey an eignen oder anderen verpfänderen, geliehenen, oder vertrauten Gütern soll in das Inventarium gebracht werden. Nunc addamus Cap. 3. Wer eine Erbschaft sub inventarii beneficio anzunehmen bedacht ist, der soll ersilch alle diejenigen, so daran irgend einen Zuspruch haben, als nemlich die Legatarios, Creditores und andere zu solcher Aufrichtung des Inventarii und Beschreibung des Guts laden lassen. Denique subnectamus cap. 5. So nun die Creditores, Legatarii und andere mit bey der Inventirung erscheinen, so soll der Erbe gleichwohl zwey oder drey glaubwürdi-

würdige und unverdächtige Leute neben dem Gescheit-Schreiber dabei haben, sonst ist das Inventarium unkräftig, und mag dem Erben nicht zu statten kommen. Sic etiam quod JVSTINIANVS in §. 33. *J. de action.* docet, quatuor modis plus peti ab actore, scilicet tempore, si citius debitum exigat, quam par erat; re, si majorem quantitatem postuleret; loco, si in alio loco, quam de quo convenutum erat, solutionem urgeat; & denique causa, si ex duabus rebus, alternative tantum debitum, una simpliciter poscatur; idem illud *Juri Culmenſi* insertum reperimus. Ita enim *L. II. tit. X. c. VIII.* Ein jeder Kläger soll seine Klage also anstellen, und vornehmen, daß er nicht zu viel begehre. Es geschiehet aber solches zu viel Begehren auf viererley Weise. Erslich, wenn der Kläger seine Schuld, Zins oder was anders, ehe und zuvor fordert, als die Zeit und bestimmte Frist verschienen ist. Zum anderen, wenn er mehr, denn die Haupt-Summe der Schuld antrifft, fordert. Zum dritten, so er die Schuld an einem anderen Orte fordert, denn da sie zu bezahlen bedungen worden. Zum vierten, wenn der Schuldeuer zwey Dinge auf seiner Wahl oder Willkuhr versprochen hat, als 20 Floren oder ein Pferd, und der Kläger das eine ohne Unterscheid klaget. Sed plura jam addere non vacat. v. SCHWENDENDOERFERI *Diff. de Collatione juris civil. cum Jure Culmenſi emendato*, in qua ostenditur, in quibus ius nostrum cum iure romano conveniat, & in quibus a jure civili recedat.

§. XXI.

Accedo nunc ad alteram speciem juris adventicii, *Observantia juris pro parte recepti*
quod non ita generatim agnosci solet, ut illi ordinarie
in

Semper probari debet. in dubiis causis decidendis in aliorum juriū defectu aliquis locus detur, sed ex quo hactenū tantum extra ordinem unum alterumve fragmentum quendam in foro assensum impetravit. Ex ipsa vero hujus receptionis natura illico constat, quod in dubio nulla hic praesumti queat observantia fori. Cum enim ista receptione non in complexu quodam facta sit, necessario consequens est, ut cuiuslibet talis fragmenti observantia singularibus factis nisi debeat, ex quibus de illa constare possit. Sicuti vero ea, quae singulariter & aliquando tantum extra ordinem fiunt, in dubio praesumti nequeunt, sed ut PAVLVS in L. II. 4. D. de Reg. Jur. nos admonet, illud potius in obscuris & dubiis factis inspiciendum est, quod verosimilius est, & plerumque fieri solet: ita etiam in specie proposita neque judex ex tali jure, quando de observantia adhuc dubirat, tu-to judicium suum instruere, nec is, qui ad observantiam alicujus legis, ex hujusmodi jure depromptae, provocat, a probando se liberare poterit. Unde hic merito agnoscimus regulam, quam WERNHERVS Obs. for. P. I. obs. 316. tradit: Ubi juris alicujus usus haut est, nisi quatenus observatur, ibi in quavis materia observantiae probatio affirmanti incumbit.

§. XXII.

*Exempla
sunt Novellae Leonis.*

Hoc modo in foris hodiernis rationes subducenda sunt, si de usu practico Novellarum Leonis quaeritur. Hae enim Constitutiones Leonis Philosophi, hujus Imperatoris aetate quidem in Oriente auctoritatem habuerunt, ut recte docet CORNELIUS VAN BYNKERSHOEK Observ. jur. rom. L. IV. c. I., siquidem Imperator illas non nisi juris condendi gratia promulgavit, uti ex proemio harum Novellarum statim

tim apparet, & a sequentibus imperatoribus quoque eadem ceu leges passim laudantur. In Occidente vero illae nunquam usu generatim receptae sunt. Quia enim Novellae istae graecae erant, quarum versio latina de-
Nunquam in occidente generatim receptae.
 dum Henrici Agylaei est, qui Seculo XVI. vixit, ple-
 rique vero ex glossatoribus, aut graecarum litterarum admodum rudes erant, aut graecas constitutiones ad se non pertinere putabant: hinc nec Novellae Leonis, nec varia Edicta ipsius Justiniani graece edita glossis illustrabantur. Itaque cum inter pragmaticos postea regula invaluisse: Quem textum glossa non agnoscit, illum nec nos agnoscimus; Novellae Leonis quoque exiguum in foris nostris obtinere potuerunt auctoritatem. At-
Speciatim tamen ali- quae invalu- erunt.
 tamen aliquas ex his novellis sensim ac speciatim se in iudicis iniurias notum est. Earum aliquot adducit
BRVNQVELVS in hist. jur. P. III. m. I. c. 5.,
 quibus addi potest Novella Leonis 39, qua prodigiis te-
 stamentum condere permittitur, si in eo bene prospici-
 ent posteritati, quam receptam esse plerique fatentur
v. LVDOVICI in Doctrina Pand. p. 485. & HOP-
PIVS in Comment. Inst. ad §. 2. f. quibus non est per-
missum facere testamentum. Sicuti autem exinde ani-
 madveritur, quod aliquae tantum ex his Leonis con-
 stitutionibus in foris hodiernis obtinere soleant: ita de
 reliquis ex praeced. §pho expeditum est, quod eae in
 judicando aliter nunquam, nisi speciali fori observan-
 tia probata, attendi queant.

§. XXIII.

Cum igitur aliquando ad officium judicis pertineat, ut is probationem observantiae dubiae circumspiciat, non erit ab hoc loco alienum, adhuc pauca quedam de hac probatione coronidis loco adjicere. Prouti vero

E

proba-

Quid ad ob- servantiae probationem requiratur?

probatio, quae in foris desideratur, in actu constittit,
 quo de aliqua re dubia judici legitime fides sit: sic res
 ipsa loquitur, ad observantiae probationem necessarium esse, ut judici sufficienter fiat fides de ipso obser-
 vantiae facto, in controversiam veniente, & quidem ita,
 ut etiam appareat, in eo ipso loco, de quo quaeritur,
 talem modum pronunciandi jam antea usu quodam ve-
 nisse, cum non magis in probanda observantia, quam
 in consuetudine aliqua demonstranda, de loco ad locum
 argumentum possit produci. Quod autem ipsa docu-
 mentorum judicialium fide publica observantiae pro-
 batio optime instrui queat, ambigi quidem nequit;
 attamen, cum haut raro eveniat, ut casu quodam illa
 amplius haberi non possint, etiam hic judici observan-
 dum erit, quod Hadrianus Imperator, referente
 CALLISTRATO in l. 3. §. 2. D. de testibus Vale-
 rio Vero hunc rescripsit in modum: „Quae argumenta
 „ad quem modum probandae cuique rei sufficiant, mul-
 „lo certo modo satis definiri potest: sicut non semper,
 „ita saepe sine publicis monumentis ejusque rei veritas
 „deprehenditur: alias numerus testium, alias dignitas
 „& auctoritas: alias veluti consentiens fama confirmata
 „rei, de qua quaeritur, fidem. Hoc ergo solum tibi
 „rescribere possum summatum, non utique ad unam
 „probationis speciem cognitionem statim alligari debe-
 „re: sed ex sententia animi tui te aestimare oportere,
 „quid aut credas, aut parum probatum tibi opinaris.
 Add. KEMMERICHII supra alleg. Diff. de proba-
 tione consuetud. & observantiae, ubi ex instituto spe-
 cialiis ostenditur, qua ratione & quibus adminiculis
 probatio observantiae fieri debeat.

§. XXIV.

§. XXIV.

Primo quidem obtutu admodum facilis videbitur probatio observantiae, quia, si argumentum Bergeri, supra §. IV. citati, agnoscimus, sufficit, ut unicus actus demonstretur. At tunc cogitandum quoque erit, quod eadem facilitate ab adversario elidi possit ista probatio, quamprimum is actum recentiorem contrarium ostendit. Per facta enim observantia introducitur; hinc & per contraria iterum facta tolletur; adeoque regulam illam VLPIANI in L. 35. D. de Reg. Jur., ex qua nihil tam naturale est, quam eo genere quidque dissolvit, quo fuit colligatum, non incommodo hoc transferre licebit. Neque tamen generatim quamcumque observantiam unico recentiore facto contrario perfinitus ruptam esse crediderim. Quodsi enim illa jam pluribus uniformibus actibus non nihil corroborata sit, licet tantum tempus nondum clapsum videatur, ut pro confutudine haberi queat, unicus novus actus contrarius illam non statim infirmabit, nisi simul apparet, ex praegnanti ratione priorem observantiam defertam fuisse; verum quemadmodum Praetor apud romanos veteres illum interdicto utrubi tuebatur, qui majore parte anni in possessione fuerat, adversus eum, qui novissime possessionem apprehenderat s. 4. J. de Interdictis; ita etiam prudens judex in dubia juris, quaestione magis illam observantiam conservare studebit, quae olim saepius obtinuit, quia, ut jam supra §. VI. monitum, publice expedit, ut, quantum fieri potest, uniformis in pronunciando modus retineatur. Quam sententiam non parum juvat rescriptum ALEXANDRI in I. 1. C. quae sit longa confuetudo, quod praefidem provinciae obligat, ut probatis his, quae in oppido in eodem controversiarum genere frequen-

*Quo facilior probatio observantiae, eos facti
lior refutatio quoque videbitur.*

*Observantia jam aliquot actibus firmata, uni-
co actu contrario non statim evanescit.*

*Anno 1600
Ad hanc p. 35*

ter observata sunt, exinde causa cognita statuat. Equidem, ne quid dissimilem, in hac lege principaliter de consuetudine sermo est; attamen ex ejus etiam mente generalius intelligitur, quod ea, quae antea frequenter servata sunt, imposterum quoque non temere negliga voluerit Imperator.

§. XXV.

Si nulli actus recentiores probantur observantiam recepta obtinere praesumuntur.

Sed faciamus etiam, actus recentiores contrarios sine aliquo discrimine observantiam tollere priorem; tamen observantiam, quam antea receptam fuisse certo constat, tamdiu adhuc tuebitur, nec sine gravi causa neglet judec, quamdiu istiusmodi actus recentiores probari nequeunt, ex quibus liquido appareat, primum istum pronunciandi modum iterum desertum esse. Quis enim dubitat, quin omnis mutatio in facto consistat? Ea vero, quae facti sunt, regulariter non praesumuntur, sed ab allegante probanda esse, omnibus in confessio esse debet, cum facta incerta & mere accidentalia sint. Prout ergo VLPIANVS in l. 22, *D. de probationibus* eum, qui voluntatem alicujus mutantam dicit, hoc probare jubet, non aliam ob causam, quam quia is aliquid allegat, quod factum non praesumendum continet: ita etiam consuetudo, quatenus de ejus introductione dubitatur, probanda est; adeoque nec magis nova observantia, priori contraria, praesumti poterit, sed probatione indigebit. Conf. MENOCHIVS de praesumptionibus L. VI. praef. 14. & ALCIATIVS de eodem argomento Reg. II. praesumpt. XXX.

§. XXVI.

Qui extixit, quod ob-

Itaque hic non est, cur judicem anticipem reddere possit

SI OBSERVANTIA LEGIS SIT DVBLA. 37

posita opposita quidem, sed non probata, exceptio non amplius vigentis observantiae, qua ut plurimum illi se extricare student, quibus jus usi quodam receptum obtineat, a non esse videtur. Haec enim exceptio, tametsi probatione negativa sit, non tamen vaga, sed ex earum genere non immunis est, quas negativas praegnantes appellare solent; si quidem is, qui observantiam non amplius obtinere dicit, re ipsa contrariam asserit observantiam. Quapropter excipiens a probatione, sub eo colore, quasi exceptio sua negativa sit, ideoque juxta l. 2. D. & L. 23. C. de probationibus nulla demonstratione indiget, immunis esse non poterit. Quod enim Imperatores in alleg. L. 23. censent, per rerum naturam factum negantis probationem nullam esse, in hac quidem causa prodebet nequit, quia illud ex omnium fere judicio tantum de negatione vaga intelligi potest. Ut taceam, non prorsus decessa magnae famae JCTos, qui speciose istud Imperatorum judicium impugnant, & vere negativarum quoque propositionum probationem in foris non impossibilem esse perswasum habent. V. COCCEJI Diff. de directa probat. negativ. cap. 2. Cui raman opinioni se opposuit A. LEYSER Med. ad Pand. Spec. 255. m. I. Plane de negativa praegnante ambigendum non est, quod ea, cum simul factum positivum adstruat, probanda sit, quia affirmanti probatio incumbit. Unde, quemadmodum PAVLVS in l. 5. §. 1. D. de probation. recte probationem illi imponit, qui negat, emancipationem rite factam esse, quia hoc ipsis affirmat, in emancipatione aliquod vitium commissum esse: ita eodem plane modo in nostra specie neganti, quod observantia aliqua adhuc obtineat, incumbet probatio, cum, ut jam dictum, hac ipsa negatione sua novam, eamque priori contrariam, observantiam adstruere conetur.

T A N T U M.



DOCTISSIMO DISSERTATIONIS
DEFENSORI

S. P. D.

PRAESES.

Justissimas omnino laudes merentur praeclari conatus
TVI, ORNATISSIME GRODDECKI, qui, pa-
triis musis valedicens, non sine publico documento
Tuorum in Athenaeo nostro, in primis in jurispruden-
tiae studio, egregie factorum progressuum, in pere-
grinas discedere academias constituisti. Quo confilio,
cum a me aliquando postulares, ut elaborandae differ-
tationi materiem quandam suggererem, ego quidem,
cui probatissima existebat & Tua assiduitas atque at-
tentio in lectionibus meis, & excitata indeoles Tua, in
privatis disputationibus multoties demonstrata, non
potui non argumentum praesentis dissertationis Tibi
lubentissime suppeditare elaborandum. Perfecisti et-
iam hunc laborem diligenter, mihique nuper obtulisti
hancce lucubrationem, quam secundis curis revisam
ac emendatam Tibi nunc reddo. Quo minus vero est,
cur dubitem, quin hoc opus Tuum in erudito certa-
mine, non sine insigni laudum Tuarum accessione, a
dubiis lectissimorum dissentientium dextre sis vindicaturus:
eo majori cum sensu jucunditatis Te in cathe-
dram publicam producam, simul specimen scientiae
TVAE publicum ex animo Tibi congratulans. Quod
reliquum est, Deus immortalis semper Tibi conservet
igneos illos spiritus, quibus jam ad doctrinae cultum
animus Tuus mirifice erectus est. Idem divinum nu-
men iter, quod meditaris, tanto quidem auspicatus
esse jubeat, quanto honestior est peregrinationis Tuue
causa.

IS
causa. Denique, ut aliquando, varia eruditione instru-
ctissimus Magnifico Parenti ac genti Tuae nobilissimae
restituaris in columis, tota mente precor. Me vero
favori atque benevolentiae Tuae decenter commendabo.
Scribebam Gedani d. XX. Julii A. R. G. clo 10 CC LII.

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
MICHAELI GRODDECK
S. P. D.
JOANNES ERNESTVS SCHMIDT. GED.
J. ET M. C.

Opp.

Quintus jam volvitur annus, ex quo mihi Athenacum no-
strum frequentanti honos contigit, numero amicorum
Tuorum adscribi. Tempus postea, contractam Fecum amici-
tiam & cōprobatam & firmatam reddidit, adeo, ut nunc,
mihi intima Tua familiaritate frui licet. Qua quidem ego
fretus, a Te, exteras Athenas petituro, ut me comitem iti-
neris Tibi adjungeres, flagitavi & impetravi. Cum autem
jam in eo sit, ut circa calendulas Septembres, laudabili pro-
posito Tuo satisi fieri cupias, Teque jam itineri Göttingam
parando accingas, specimen antea eruditionis diligentiaeque
Tuae edere constituiti. Quem quidem in finem dissertatio-
nem proprio marte elaborando atque mox defendendo, quid
valeant humeri, quid ferre reculerent experiri Tibi placuit
Demandatum ergo a Te opposentis munus recusare mihi
religioni duxi, quia hoc officium amicitiae, quae mihi Te-
cum est sincerissima, ultra libenterque tribuendum videbatur.
Quapropter in arenam descendam, Tecum, doctissime hu-
jus dissertationis auctor, rogatus inimicus amice dimicabo,
victusque ex confictu decadens, Te, viatorem meum co-
lam & debitibus laudibus efferam. Jam diu enim probasti, Te,
& primitudine refellendi dubia, & dexteritate judicandi, ex-
cellere, nec non praeclaram animi indolem, vires ingenii singu-
lares, diligentiamque summam, in Te deprehendi. Probabis
igitur

igitur abunde in ipso certamine, Te celeberrinorum GROD-
DECKIORVM vestigia premere, quorum insignia in patriam
merita, exemplum & perpetua quasi legem, bene de republi-
ca mierendi, non elegisti solum, sed & laudabiliter sequeris.
Qua laude, quibus praemii, igitur es & eris dignus? Profecto,
Magnifici Tui parentis & generosorum majorum atque pro-
pinchorum gloria, virtutes Tuas paeclaras, tanquam umbra,
lequatur, necesse est. Experieris fausta quaevis ac felicia, sum-
misque honoribus, justo doctrinae & virtutis brabaeo, aliquando
& studiis Tuis, omnibusque quae agis & decernis, gratia tua,
adesse nunquam intermitat. Ego quidem

mihi Te jungam pyladeo semper amore
Redde vices pyladem meque putato Tuum.


Dabam Gedani A. P. C. N. MDCCCLII. XII Calepd. Augusti.

Wer Wissenschaften sich zum Ziel und Vorwurf setze,
Wer Vorurtheil flieht, wer falsche Meynung scheut,
Wer nichts als Wahrheit liebt, an solcher sich ergezze,
Von Fehlern sein Gemith und Irrebum stets besezt;
Der kann sein Wohl und Glück auf feste Säulen setzen,
Kein Unglück kan sein Wohl, kein Schmerz sein Glück verlegen,
Du hast gelehrter Freund der Wahrheit nachgestrebt,
Dein Wissen stets vermehrt, der Tugend nachgesezt;
Darum so wirst Du auch durch Dein gelehrt Streiten,
Dir jedo wahres Lob auf fröte Zeit bereiten.

Christian Wilhelm Fichtel. Ans Danzig.
Opp.

Silis, Amice, Tuis jam Te, laudabile factum,
Nam spem conceptam, quemque probare decet.
Perbene cedat opus, quod doctum mittis in orbem,
Primitias studii. Perbene cedat opus.

Joannes Benjamin Paezel, Ged.
J. & M. C.
Opp.




ULB Halle
002 713 802

3



96,





12302.

N° 45

7

DISSERTATIO JVRIDICA
DE
**OFFICIO JVDICIS
SI**
**OBSERVANTIA LEGIS SIT
DVRIA**

1752, 2.

QVAM
SVB AVSPICIIS DIVINIS
ATQVE PRAESIDIO
*VIRI PRAENOBILISSIMI, CONSVLTISSIMI
EXCELLENTISSIMI*
GEORGII FRIDERICI KRAVSII
VTRIVSQUE JVRIS DOCTORIS
EJVSDEM AC HISTORIARVM PROFESSORIS PVBLICI
ORDINARII, ATHENAEIQUE INSPECTORIS
IN AUDITORIO MAXIMO
AD DIEM I. AVGUSTI ANNI C¹⁵ CC LII.
AB HORA IX ANTEMERIDIANA
PROPVGNABIT
DISSERTATIONIS AVCTOR
MICHAEL GRODDECK,
GEDANENSIS.

G E D A N I,
TYPIS THOMAE JOANNIS SCHREIBERI, SENATVS
ET ATHENAEI TYPOGRAPHI.